

Antonius Loschius

‘Achiles’

Tragoedia
(ca. 1390)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Mai 2008

Personae

Hecuba

Paris

Achiles

Sateles

Priamus

Cassandra

Nuncius

Agamemnon

Menelaus

Calcas

Chorus Troianorum

Chorus Grecorum

<Actus primus>

Hecuba, Paris

Hec. O coniugales horridas Troie faces,
Quas profuga coniunx numine infausto tulit!
Thalamos secutas regius puppes cruor
Cuius Pelasgas solvit? immites deos
Placare potuit cede virginea cohors 5
Argiva? ratibus mille suffecit caput?
Nunc Xantus, alto sanguine immixto fluens,
Yliaca pulsat maria; purpureas vehit
Simois procellas cede, nec dudum labat
Fortuna belli. victor Atrides premit 10
Menia deorum clara, que Phebus cheli
Struxit canora. sevit armigera potens
Europa classe; quelibet nostram lues
Affligit Asiam. vincimur bello Friges.
Sed maior Hecubam torquet infaustam dolor; 15
Nocturna non me nec fovet lucis quies.
Hinc fortis Hector, mille quem metuunt rates
Adhuc iacentem, Graia qui solus fugans
Tot regna curru celsus aurato stetit;
Auspicia Troylus Hectoris bello gerens 20
Achilis ense cesus: hinc matris dolor.
Astus Vlixis, Thetidis et claras fleo
Nimium latebras. Ylios periit decus.
Hectorea traxit membra Thesalici ducis
Extincta currus, pondere excelso rote 25
Tremuere. laceras vidimus gnati comas
Emptumque Priamo corpus. en, Hector sat est,
Millena cuius classis extimuit facem.
Sed sobolis alte Troylus clarum genus
Achilis ira iacuit. o dirum nefas! 30
Adeste, adeste, summe dominator poli,
Trisulca cuius tela iaculatur manus,
Numenque Phebi tuque, qui pelagus regis,
Neptune, quorum Troia munitu viret.
Quid, misera, luctu, questibus volvis diem? 35
Non damna fletus reparat; extincti iacent.
O segnis Hecuba, pateris ultrici manu
Carere natos? sceptra dum Priamus gerit
Inimica Danais, perage, quod natus iubet.

Par.	<p>Quid tacita volvit pectore ardenti parens? Flamata vultus regiam frontem quatit; Phebigera virgo qualis impulsu dei Lacerata crines, qualis aut Menas furens, Percussa Bacho, fronde pampinea comas Impressa fervet, auget atque iras dolor.</p>	40 45
Hec.	<p>Regina, quis te versat amentem furor? Quisve urget estus? cohibe vesanum impetum! Vicere nundum Dorici Troiam duces, Sed scepra Priamus, munus Alcide, gerit.</p> <p>O summa Iuno, coniugis soror tui, Regina celi; tuque, quam Friges colunt, Armigera Pallas, prosperum tandem michi Placate fesse numen. hoc testor deas, Quibus negavit munus, Ydeas premens Sedes, cruentus arbiter, notus sibi.</p> <p>Phebea nundum sparserat lampas diem, Sed plaustra sicci volverant molem iugi Solusque claro Lucifer stabat polo. Exigua somni tenuit afflictam quies.</p> <p>Ecce, ima tellus fremuit et cecum chaos Laxavit ora; fulgor invasit domum. Tunc umbra iuvenis patuit Acherontis vado Emissa Priami, sponte non qualis trahens Dardania secum castra et ultrices manus Gestare cupiens, crine sed sparso iacens</p> <p>Cruore fusus, inquit: 'ignavi Friges, Iacete segnes. Hecuba, tu dormis, parens! Erramus umbre, spernit ac nostros Caron Gestare manes. nullus est natis locus. Vagamur. Hector Paridis ultricem petunt Tuusque dextram Troylus. dudum negas? Remeabit ille, cuius Hectoreo graves Sonuere currus pondere? Argolici feret Partem triumphi? sospes ac victor suum Natum reviset? orba quo defles tuos?</p> <p>I, perage; Achilles decidat fratris manu'. Tunc horror artus alligat, sanguis gelu Victusque torpet. misera sed natum sinu Retinere volui. fugit amplexus celer.</p> <p>Magnanime, Priami stirpe regali trahens Nomen superbum, cuius ingentes, Paris, Animos Atrides sensit ac luget minor, Te poscit Hector, ripa quos tristis tenet Errante gressu, ac Troylus. natis quidem</p>	50 55 60 65 70 75 80

	Puppis negatur, negligit fratres Caron Adhuc inultos. vindicem dextram petunt.	85
Par.	Regina Frigium, mentis est error vagas Vmbras putare, dextra si vindex abest. Mortale quicquid corpus ad letum trahit, Haud parcit anime. vita cum refugit, nichil	90
	Est umbra; miseros ignifer postquam rogos Consumpsit ardens, spiritus moritur simul. Quid cesa tauri colla ferventi rigant Cruore tumulos? vana nos movet fides. Placare nullo credimus vivens loco.	95
	At sola superest fama virtutis; meos Hec ipsa fratres servat, hac vivet diu Animosus Hector, sicca dum fluctu carens Lucebit Vrsa, pulcra dum Phebum dies	100
	Et nox sororem sentiet, mundi vices Dum volvet annus. Tantali lusor latex Pomigeraque arbor, Sysiphum lapis gravans Celerique cursu raptus Ysion rote Alesque Ticii iecore fecundo furens	105
	Et ceca Ditis regia ac pinum manu Furibunda gestans angue mortifero cohors Tricepsque custos Tartari, Caron senex: Inanis iste rumor. hoc certum puta: Vmbrisque vita corpore extincto datur;	110
	Aut leta campos querit Elisios statim, Quorum reverti clara prosperitas vetat, Aut Stigia querit protinus tristis loca. Quicumque manes vidit infaustos semel Ditisque pavido regna tentavit pede,	115
	Superna nunquam tetigit. hoc nulli vacat Exire regno. generis humani capax Vorago prohibet, demit ac nostras palus Lethea curas. magna sed, fateor, parens, Nati voluntas Troyli visum putat;	120
Hec.	Imago somni mentis affectus capit. Compesce diros impetus, temet doma. Ignave miles, cuius est tantum stupro Impensa virtus, raptor alieni thori, Quas Itacus ultra posset aut doli comes	125
	Perferre fraudes? fingis hoc? magna est quidem Generosa virtus Paridis, haud Hecube satis. Cum currus ingens Thesalus magnum trahens Lustraret arces, inclitas Phebi lira, Hectora, iacebas coniugis rapte sinu;	130
	Pudenda proles, Venere tu solum potens	

	Bellum recusas. dedecus tante domus, Fraterna non te funera aut matris preces Hecube movebunt? pateris erranti gradu Fratres vagari? degener patre inclito, Indigne Priamo, nulla te pietas movet? 135 Quisnam peremptor Hectoris magni fuit Nisi teda Paridis? causa Danaidum est bona; Vbi causa iusta deficit, virtus perit. Ego non aperto bella quod Marte ingeras, Sed fraude Achilem perime.	
Par.	qua tantum ducem?	140
Hec.	Amore claro nobilis Polixenes Furibundus ardet, virginem thoro petit. Promissa thalami iura fraudabunt virum, Fictusque Priami templa continget gener Phebea, inermis gente desertus sua. 145 Cohorte primum cinctus armigera latus Limen tenebis. hostis in templo cadet, Cecidere cuius Troylus et Hector manu.	
Par.	Licet ira Achilis morte satiari queat Odiumque nostre pestilens domus ruat 150 Paridis sagita, fine quo cernas tamen? Fortuna semper impetu primo favet; Extrema virtus cernere est. video, intuo, Quicquid sequetur. comprime ardentis tue Mentis furores. bella si iuvant, cadat 155 Patrie ruina Dardane gentis cruor. Salvanda sed si Troia te magis iuvat, Soror est iugali Thesalo Polixene Tradenda thalamo; fictus haud templum gener, Sed verus intret, sceptrum qui potens gerit, 160 Thesalica cuius arva sub regno iacent. Parentis altum sanguine extendit genus Pelagique dive. magna nos clades premet, Argolica semper bella, divorum furor, Hostilis ardor, fraude si ducem obruas. 165 Si parcis hosti, sancta si pietas placet, Tibi ipsa parcis, patrie et Priamo simul. Servare patriam quelibet laudat fides. Natam Pelasge rector Atrides suam Gentis dicavit; crimen extinxit cruor 170 In sacra missus iura, qui sacrum fuit. Sed nata sospes publicam genti dabit Nostre salutem, sanguinis stringet vias Troie fluentis. hostis Alcides tenet Iunonis Hebem coniugem victor polo. 175	

Parcendo parcis. talis himeneus potest
Firmare Troiam.

Hec. coniuge oppressam tua.

Thalamos Achilis patiar impleri meo
Inulta fetu? virgo polutas manus
Fratrum cruore sordido tactu feret? 180

Parentis utero fata volvissent tuos
Sine luce fusos, nata, si tales deus
Thoros ministrat. ante sublimes reget
Noctivaga currus numinis clari soror
Trivieque Phebus, fervido seges mari 185

Nascetur, Arctos pontus asperget, rates
Fessas Caribdis ore placato trahet
Et Scilla; mites sentient agne lupos,
Tigres iuvenci; flama coniunget mari,
Occasus orbi lucidum mittet diem 190

Ortusque merget; Xantus ad fontem retro
Labetur unda, sanguinem varium gerens;
Fidemque celi Phebus agnoscet, manus
Perfracta iunget fila, quam thoro sinam
Iungi Pelasgo sanguinem clare domus. 195

I, nate Priami, callidam cedem extrue.

Par. Sedicio regem non decet.

Hec. quicquid licet.

Par. Servare regis maxima est virtus fidem.

Hec. Fides ab alto regio distat lare.

Par. Eruere patriam regis est culpa impii. 200

Hec. Tirannus hostem villis haud ultus sinet.

Par. Hosti salutem denegans, tibi negas.

Hec. Non dura mors est, odia qui secum trahit.
Cur nunc moraris?

Par. fraudis occulte pudet.

Hec. Cedem occupato sola permittit dies. 205

Par. Si tantus dolor pectus inflammat, parens,
Peribit hostis, victima ut templis cadet.
Iam iam sateles tale coniugium duci
Referat Pelasgo.

Hec. templa confestim petet.

Chorus Troianorum

Ch.	O magne Tonans, ardua cuius Dextera fulmen quatit, ethereis Viribus actum; genitor Superum Hominumque simul, cuius numen Elementa gravi compressa chaos Solvit, proprio iussitque loco	210 215
	Sistere, quicquid prius humanum Presserat orbem. se tulit arces Ignis in altas, vicinus ei Stetit angustas aerque vias Subiturus, humum cinxit pelagus.	220
	Nunc Dardanias respice gentes Tandem fessas, millena para Fulmina. puppis Troiana premens Ardeat omnis. concussa manu Mille carinas rutilante Iovis	225
	Feriant Danaas fulmina; quicquid Immune fuit facis Hectoree, Igne Tonantis maiore cadat. Tuque, o celi regina, fave, Inclita Iuno, cuius thalamos	230
	Iupiter intrat. tu Gorgoneis Armata veni Pallasque minis Vel mitte tuum nimbo aurifero Fratrem genitum. sic Argolicos Horrore duces pressos retine,	235
	Semper in arvis qui cede madent. Et tu nitidum, radiate, diem Qui lucifero revehis curru Fessusque diem mergis in undas, Ades, o Titan, defende lire	240
	Menia placido structa canore. Sorte secunda, Neptune, potens Passus Graias per regna rates Mille Yliacos quesisse tua Muros; cur non, infesta petens	245
	Menia divum, puppis tumido Ponto iacuit lacerata? tamen Nos auxilio, quos tua cingit Zonaque Phebi, defende tuo, Licet hoc tarde, Neptune, feras.	250
	Iam iam cecidit robur Frigiis Gentibus Hector Troieque decus,	

Millena facem cuius timuit
Argiva ratis. quid, Troyle, te,
Inclite, referam viresque tuas? 255
Post mala questus verberat auras.
Soror o clare lucisque dei,
Insula iacuit firmata quibus
Partumque tulit; te virgineus
Placare cruor lesam potuit 260
Crimine cervice? si tota luat
Grecia penas, vix extinguet
Scelus exiguo sanguine missum.
O diva, fave, menia serva
Fratrisque tui veneranda cheli. 265
Tu dive potens, qui bella regis,
Vota Yliace suscipe gentis;
Rege Dardanias marte secundo
Aciesque. tuum Troia precatur
Numen: Achivas sterne catervas. 270
Sed nunc sacris placanda deum
Numina nostris Superumque colat
Quelibet aras Troiana cohors.

<Actus secundus>

Achiles, Sateles

Ach.	Regem deorum maximum quisquis putat Celi Tonantem, fulmine et sceptro manus Armata cuius orbe concusso furit, Errore mentis fallitur quidem invio; Est namque maior, falsa quem mundi fides Vocat minorem, tela qui gestat puer Virtute varia. celsus hic alis volat, Quacunque Titan lucido curru nitet. Quam sepe novit Iupiter vires dei! Vicere fulmen tela puerili manu Librata, quamvis impetu tanto furens Descendat, urat, contulit quicquid parens. Hic tela mittit, vulnus inclusum latet, Tectusque membra pestilens ignis vorat. Dominatur orbi pariter et celo potens, Testorque Achilles numinis tanti fidem Viresque teli, cuius auratum gerit Arundo pondus. ecce, victorem diu Me Troia sentit, labitur Xantus meo Mutatus ense; gentis Argolice pavor, Excelsus Hector, fratre permixto, iacet. Obscura cede Menonis fulsit parens; Pietate liber Telephus nostram tulit Iram, negando Misie nobis iter. Tamen Cupido superat. o quantum meo Amoris iste pectori affigit puer! O nata Priami, causa bellorum tibi Iam cedit Helena, vultibus claris nitens. O spes Achilis, quando te nurum ciet Thetis, iugali Thesalo iunctam thoro Vocabit, una gentibus pacem dabis. Vterque voto supplici divos rogat Hoc populus. at nunc propius advexit gradum Paridis sateles, nostra qui signa appetit Himenea letum voce sublimi canens.	275 280 285 290 295 300 305
Sat.	O clara proles Thetidis, o Frigum timor, Vtrasque fama cuius invasit domos Generosa Phebi, classis Argive decus, Tibi Troia supplex nobiles tendit manus,	310

Ensis cruore cuius irrubuit tuus,
 Humilique pacem queritat voto ducem,
 Vt seva cedis iaceat hic tandem sitis. 315
 Satis hausit ira sanguinis, ferro manet
 Spoliata vestro Troia. te generum vocant
 Priamusque coniunx Hecuba, tibi regno parant
 Dotare natam. quilibet vetus furor
 Pellatur animo; templa te Phebi manent. 320
 Regalis illic turba coniugium parat
 Firmare sacrum. perge; cur dubitas diu?
 Ach. Optata quamvis fulserit nobis dies
 Et vota placidi sumpserint divi, tamen
 Non coniugale tempus; hoc fieri vetat: 325
 Vt flama pelago, marte sic distant faces.
 Sat. Erras. iugalem tempus hoc tedam petit:
 Cum sevus urbes excitat belli furor
 Strictique fervor ensis in gentes ruit,
 Tunc pacis opus est. bella si semper gerat 330
 Mortalis ardor, ulla nec crescat Venus,
 Peribit orbis. pastor amittit gregem,
 Qui semper aris victimas cedit sacris
 Pecusque nullum reparat. extinguui solet
 Vetus ira tedis. unicum Priamus gerit 335
 Solamen animo, mille quod tantum rates
 Tulere generum. fateor, hoc regem fovet
 Senio gravatum debili, afflictum malis.
 Quod magnus Hector, frater atque audax nimis
 Iacuere, thalamo pensat hoc. tantum dabis, 340
 Quantum abstulisti. Priamus Alcide capit
 Exempla, quamvis unico distent loco:
 Victo pepercit Hercules, Priamus duci.
 Si lesus iram ponit, hunc magis decet,
 Qui lesit, arma. regna summittet tuo 345
 Regenda sceptro; prole nec villi genus
 Angustus hausit, genere sed claro nitet.
 I, Thetide dignam coniugem nurum pete.
 Quicumque dona negligit semel deum,
 Mox vota surdis auribus celo dabit. 350
 Ach. Odiosa cunctis facere sibi soli est nefas.
 Sat. Danaisne?
 Ach. Danais.
 Sat. longa quos belli mora
 Patrio carentes detinet fessos lare,
 Sevus iuvabit bellicus semper labor?
 Credas precari celites pacem deos; 355
 Sed multa pectore regius celat timor.

Tali salutem fata posuerunt thoro:
 Vtriusque populi sanguis hoc sistet fluens.
 Optata perage; numinum prestat favor.
 Ach. O quam libens Fortuna seu celi favor 360
 Parem superno vexit Eaciden Iovi!
 Quid marte gentes obrutas nostro loquar?
 Michi cessit omnis, signa cum cantus mea
 Animosa cecinit; sola non timuit cohors
 Peritura ferro. flebiles vidit deus 365
 Celsos canore nobili muros suo.
 Quis magnus Hector obstitit bello impotens?
 Timuere matres inclitum Thetidis genus,
 Solusque Achilis obruit cunctos pavor,
 Mavorsque tantum bellice sortis potens 370
 Nec favit acie. quicquid optavi, meo
 Fortuna fato iunxit. en, divi parant
 Sociare nostros genere regali thoros.
 Super astra gradior, celitum sedes premo,
 Quos nostra semper cura sollicitos tenet. 375
 Si michi Tonantum coniugem natus daret
 Thalamosque fratris negligat Iuno meis
 Sortisque iudex premium reddat sue
 Et marte tuto, quelibet, Polixene,
 Tibi cedit uxor. propero, iam more piget. 380

Chorus Graecorum

Ch. Armatus gemina fervet arundine
 Vulcano genitus, cui Venus est parens.
 Immitis puer hic pervolat ocior
 Excusso manibus fulmine patru
 Effusasque sagittas agilis movet, 385
 Qua nascens, rutila fronte, patet dies
 Et lucem pelagus qua bibit ultimam
 Et quacunq; solum cingitur equore.
 Affigit penitus vulnera certior
 Quam fallax profugi dextera cuspide 390
 Parthi, sive fugas fingere preparet
 Seu recte feriat. viscera pestilens
 Ignis tota vorat, nullaque vulneri
 Frons est clara; latet sevir Ethneo
 Inflanans miseros sed calor horrido. 395
 Hoc fervent iuvenes, hic tepidos senes

Rursus flore comas cingere concitat
Ignotamque iubet querere virgines
Matrem. quid Superos? liber avus nec est.
Heu, passum quotiens tela Cupidinis 400
Falsum terra Iovem sensit! in aureo
Nimbo fluxit amans; corpore candidus
Cignus plumifero tunc petiit thoros,
Cum nobis genuit bellaque Dardanis;
Et taurus spoli nomina littori 405
Fratris regna secans pectore tradidit.
Calisto, posuit fulmina te petens
Et vultus domine mitior induit.
Prolem, nube latet, dum tenet Inachi;
Alcidem genuit, dum iubet Hesperum 410
Hoc nomen solito sumere longius.
Iunonis thalamos linquere Iupiter
Est passus, Semelem dum petit inclitam,
Cuius vota gemit, fulmine languido
Invadens uterum, parte sui gravem. 415
Ac proles caluit tigribus imperans,
Thesei dum spolium curribus attulit;
Qui gentes domuit, qua prior est dies,
Delphinesque dedit primus in equora.
Phebus, que pueri vulnera dirigant, 420
Novit tela; soror noctivagos regens
Currus incaluit. figere celites
Cognatos patitur, nullaque gens vacat.
Quem duplex genuit nox, ferus Hercules
Implevit calatos stamine coniugis 425
Et clavam posuit, qua domuit feras,
Dum fusos tenuit. quid referam ducem,
Cuius, Thesalicum, Troia dolet manu?
Qui solus populi marte vicem tenet;
Cuius fama nitens transit ad ultimas 430
Gentes, Oceanus quas lavat, et decus
Mille est Argolicis puppibus inclitum;
Et qui, femineis cultibus abditus,
Est fassus tumidos corporis impetus,
Armorum posuit iura, thoros petens. 435

<Actus tertius>

Hecuba, Priamus, Cassandra

- Hec. Superba tandem concidit Troie lues.
Melioꛑe fato celites nostros vident
Fessos penates. quicquid adversum obstitit
Clarumque fudit sanguinem, Paridis manu
Iacet interemptum. templa testantur dei. 440
Ite, ite, nati, puppe funesta senex
Acherontis aulam pandet. en, vobis iter
Quis nunc negabit? misera quod feci nefas?
Extrema natos fata posuerant loco
Tuto, carentes hoste. felicem putans, 445
Rupi quietem. forsitan bellum intulit
Ad regna Achilles tertie sortis potens;
Natum trementi forsitan curru trahit
Cererisque generum terret et sevum Canem,
Serpente cuius terga villosa obstrepunt. 450
Quid misera feci? certa quid Paridis manus?
Magis ipsa videor crimine infausto nocens,
Autor cruenti sceleris in culpam incidit.
Adversa sed cur bella natorum putas?
Quicunque geminam mente perversat vicem, 455
Peiora semper cogitat. natos puta
Vicisse dudum Thesali manes ducis,
Suprema si post fata et extremum diem
Servantur odia. lenta cur Priamum diu
Latere patior hostis infandi necem? 460
Gaudere gentes Ylii tandem decet.
- Pri. Magnanima coniunx, fronte quid leta geris?
Hectorea postquam membra consumpsit rogos
Emptosque cineres urna compressit brevis,
Gaudente vultu nulla te vidit dies. 465
Hector iacentes erigit quis nunc Friges?
- Hec. Michi restituti latera precingunt mea
Nati, parentem turba consequitur gregis
Veneranda nostri. mitior Ditis manus
Leviore precio tradidit matri Hectorem. 470
- Pri. Hec ipsa letam causa te demens facit?
Miseranda coniunx, nullus est Hector tibi.
Horribilius opus Atropos vertens sua
Dextra impia sororum opere, sub cuius manet

- Potentia gens tota, que Iovem trahit,
Perfracta nunquam stamina adiungit semel. 475
- Hec. Nunc si ipse tacitam, qualis Alcides, domum
Aperiret Hector, viribus vastis furens,
Theseique frater sumeret tractus locum,
Vix tanta menti gaudia afflicte daret, 480
Fortuna quantis nostra preluces viret.
- Pri. Effare, quicquid pectore hoc leto feras;
Absit petitis longa sed, coniunx, mora,
Morata quoniam dona villescunt diu.
- Hec. Pirrus nepotis fata comitatur tui, 485
Thetisque nostri socia meroris dolet.
- Pri. Qua peste Achilles, ensene an fluctu, iacet?
Vindexne fulmen stravit horrendum caput?
- Hec. Thalamos petebat virginis Polixenes,
Gener esse Priami concidit ferro putans. 490
- Pri. Obruere quisnam potuit audaci manu
Ferrumque in hostem mittere?
- Hec. hunc certo Paris
Invasit arcu; vulnere haud uno iacet.
- Pri. I, gener Achilles, inferum sedes doce
Celebrare tedas; nempe cognato Hectori 495
Ostende thalamos. regios quisnam furens
Intrat penates? lauriger vultus patet:
Cassandra laceras, fronte turbata, comas
Insana gestat; dubia, quo gressus ferat,
Recursat amens, qualis amissam petens 500
Prolem gementi cursitat vultu fera.
- Cass. Quis me ad penates concitam furor trahit?
Ad quod vocamur carmen? aut quonam meum
Mittam furorem? Phebus ad matrem vocat.
Non fugere poteris Thesalas, nate, faces; 505
Retenta poscet classis, hoc hostis tamen
Negabit hosti, coniugem coniunx bibet,
In te redibit ira, dum fratrem petes.
- Hec. Iam fessa cecidit, pectus effusum tremit.
Huc ferte gressus iuxta, famularis cohors; 510
Relevate mestam. gelidus hanc foveat latex
Per ora fusus. sensit; en, paulo movet
Artus, revixit.
- Cass. quis meos sensus furor,
O Phebe, rursus concitat? cerno nefas
Quodnam cruentum? munus acceptum dei, 515
Et casta, doleo. stimulat hunc magis dolor,
Quicumque fati prescius semper timet.
Occurrere erumnis dulce, prescire est grave.

- Hec. O cara proles, pristinam mentem cape,
Depone laurus; gemma prelustret caput, 520
Serumque cultus vellere intextos gere:
Iam cecidit hostis, festus est Troie dies.
- Cass. Sacrum Minerve manibus abductum tremo,
Dextramque iuvenis regius spargit cruor. 525
Horrenda cerno. Troia bis Priami nurum
Veneratur unam; solvit et natus patrem,
Quodcunque timuit. sydere haud uno regit
Nos nauta. solus iudicis locus est feri.
- Pri. Placate Superos: colla cedantur iugi 530
Ignara tauri; thure sacrato deos
Tandem faventes colite, et ante aras vigil
Persistat ignis: letus est urbi dies.

Chorus Troianorum

- Ch. Iupiter, celi dominator alti,
Dardanas tandem meliore fato 535
Despicis gentes. manibus deorum
Quicquid est structum, Genitor, tueris.
Traxit ingentes lira pulsa cautes;
Cadmus, externa comitante vacca,
Victor armatas metuens cohortes, 540
Semine ex tanto retinens sodales,
Struxit et Thebas simili labore.
Concidit postquam venerandus Hector,
Mille quem Graie timuere puppes,
Affuit semper dolor omnis urbi.
Thesali cedes reprimet dolores 545
Sed ducis; leto vaga turba vultu
Regios testis colit et penates.
Quisquis adversis premiturque fato,
Infimas ponti rate vidit undas
Stratus et vultu lacrimat gementi, 550
Deserat spem non timidus foventem.
Volvitur semper rota namque fati,
Nulla longevi cecinit vetustas
Temporis sortem; relevat cadentes
Opprimens celsos metuenda colles. 555
Nulla tam celum tetigit potestas,
Que diu possit retinere vires.
Quisquis excelsis agitated alis

Nititur summas penetrare nubes,
Ociore telo cadit in profundum. 560
Igneo quicquid magis obstat ingens
Fulmini, sevo potius Tonantis
Sternitur ictu.
Sive Fortuna regimur rotanti,
Sive tu mundum, Genitor, gubernas, 565
Ista lex orbi datur equa nostro:
Quisquis humano saturat cruore
Cedis et dire est truculentus autor
Parcit et nunquam furibundus ensi,
Sed iuvat dextra rutilante terras 570
Sanguine externo maculare semper,
Concidet tandem sceleris magister.
Nemo tam fortis valet esse, quo non
Fortior assit.
Omnis exemplo sequitur luentes; 575
Quod nefas fecit, patitur cruentum.
Hospitum pinguem saturavit aulam
Sanguine Alcides rigidi tyranni
Et gregem pavit Diomedis ultor
Proprio sevi iugulo ministri. 580
Hectorem stravit Thetidis superbus
Natus et gentes domuit feroces,
Sed Paris certo violentus arcu
Fixit hunc; testis necis est Apollo.
Diva, quam spernit sociale regnum, 585
Arbiter pomi rutilantis audax
Vindices sprete tribuit sagittas.

<Actus quartus>

Nuncius, Chorus Grecorum

- Nunc. Quis me cruentus nuncium casus gerit?
Quis me in profundo Tartari volvet specu
Faciemque visu merget Oceano gravem? 590
Quis fervor Ethne spiritu sevo calens
Flamante vultus obruet nostros coma?
Graviora vidi. Caucasus celi premens
Furtum rigenti vertice huic levis est malo.
- Ch. Himenea vultus equidem talis negat. 595
Sed pande, quicquid pectore arcano est novi.
- Nunc. Hec ipsa celeri causa me vexit gradu.
Ch. Effare. sed cur induit pallor genas?
- Nunc. En, trepidus horror languido motu subit,
Geluque victus torpet in fibris cruor. 600
Imago tanti sceleris in faciem redit.
- Ch. Pervince, quicquid prohibet atque animum aggravat.
- Nunc. Horrore sceleris lingua prohibetur loqui.
Ch. Licet ipse condas, veritas semper patet,
Facinusque nullum durat occultum diu. 605
- Nunc. Te fulminantem, sceptras qui gestas poli,
Et, qui per altas lumen extendis plagas,
Et, qui tridente cingis humanas tuo,
Testor, catervas: concidit regum decus
Et mille robur puppis Argolice inclitum, 610
Orbamque Thetidem sevus hic fecit dies.
- Ch. Quis mestus aures perculit nostras sonus?
- Nunc. O clare Titan, cladibus tantis potes
Per summa celi spatia lucifero diem
Gestare curru? maius hoc certe est nefas 615
Epulo Thiestis; merge, sed sero, caput.
Scelus hoc tremisco, deserit corpus vigor.
- Ch. Effare mortis ordinem: erumnas iuvat
Audire miseros, nulla celetur lues.
- Nunc. Procul a Pelasgo ereptus est postquam foro 620
Et mille Achilles inclitus liquit rates,
Non arma sumpsit, qualis his fictus tumens
Invasit acies: pectoris sevos clepens
Ictus vacavit, nulla vibrata est manu
Armata verticem asta, nec texit caput 625
Fidele tegmen, membra complexus negant

Induere tutos. solus est lateri comes
 Receptus ensis, turba non sequitur ducem
 Animosa ferro. qualis himeneum decet,
 Hic templa querit; Thetidis et Pelei nurum 630
 Thalamosque claros regie stirpis putat
 Celebrare Troiam. callidi factor doli
 Simulante vultu Thesalo perstat duci.
 Decipere amantes facile. si semper vagas
 Pulsare Scirtes, puppe si fracta horridum 635
 Sulcare pontum, sydera et celum aggredi
 Amor imperaret, nullus obstaret pavor.
 Superare novit celites, viros, feras.
 Vt seva fulsit Dardani Phebi domus,
 Peleus cacumen vidit, huc velox gradum 640
 Tum concitabat. astra vergebant ducis,
 Horrenda fata miserant summum diem.
 Namque in potentes astra ius magnum tenent;
 In fata properat quilibet libens sua.
 Ecce, ecce, tetigit liminis sacri fores. 645
 Non thure flama pinguis ante aras micat,
 Non est sacerdos more Dardanio colens
 Secreta divum; nullus aspicitur, gregis
 Rector ferocis, taurus immunis iugi
 Sparsurus aras. dux stupet, tandem subit. 650
 Tunc patuit omnis fraudis Yliace dolus.
 Armigera utrinque cinxit, en, latus cohors,
 Quos inter omnes summus emicuit Paris.
 Quicumque Achilis Hectorem laudi canit
 Vrbesque fusas impetu tantum suo, 655
 Parum arma novit atque virtutem ducis;
 Hic nempe vires summus explicuit dies.
 Non ille pavidus supplici vitam genu
 Tot inter arma querit et victus iacet,
 Sed fortis iras pectore ex toto capit; 660
 Qualis feroces Libicus extendit leo
 Animosque rigidas concutit fervens iubas,
 Cum cernit hostes, obvius ferri minas
 Poscit. timere pudit et virtus malis
 Erigitur ingens. prospero fortes loco 665
 Celantur animi, adversa virtutem probant.
 Delubra sonitu bellico tota obstrepunt
 Fremuntque galee; solus hic centum ferit,
 Et mille solum tela non vulnus gerunt,
 Non fixa pendent. quicquid emittunt, retro 670
 Inane fertur, qualis impulsu cadit
 Maris unda saxi. dubia dum martis labat

Sors, inquit: 'hec est prolis Assaraci fides?
 Hec iura thalami? pacis hec false quies?
 Sed ante nostros cimba quam manes ferat, 675
 Multi nepotis nuncient vires avo,
 Paremque servet manibus nostris locum.'
 Hec fatus, ensem pariter in cunctos gerit
 Humilem ac ferocem; largus exundat cruor,
 Iaculatur omnis tela, nec tantis sat est 680
 Vulneribus unum pectus. o miserum diem!
 Vix patitur animus horridum scelus eloqui.
 Tandem subactus pronus Eacides ruit,
 Qualis regentem premium rota afferens,
 Superata falsis axibus. cecidit tamen 685
 Nec totus, astat genibus erectus potens.
 Barbarica resonant vocibus templa horridis,
 Non querit ultro bella nec cedem invenit;
 Satis est tueri, et ensis in clipei loco
 Defendit ora. nullus est ferro aggredi 690
 Vicinus audax; tela sed Paris manu
 Sublimis aptans, inquit: 'i, nunc Thesalos,
 Superbe, currus pondere Hectoreo preme.
 Hac, hac sagita nulla te eripiet Thetis.'
 Haud dixit ultra. cornibus iunctis volat 695
 Sagita, vulnus, morte permixta, ferens.
 Vt ille sensit, languido vultu cadit
 Terramque fusus ore prostrato ferit;
 Decus omne clari corporis telo perit,
 Mutata facies pallet, et totum iacet 700
 Humo cadaver. nullus est vulgo pudor:
 Saturata nundum membra divellit manus.
 Vbi regnat odium, spernitur pietas, fides.

Chorus Grecorum

Ch.	Vt Phebum sequitur soror, Sic letos animos dolor.	705
	Dum clari renitent poli Et nimbis gravibus vacant Nec lucis tegitur nitor, At solis radios capit Mundi purpureus decor,	710
	Auster nubifer advolat Pulsus carcere saxeo, Lucem protinus excutit, Obscurans nitidum iubar, Celum nubibus induit;	715
	Sic, cum leta virent, levis Causa precipitat rote Et luctus revehit. diu Non stant numina prospera, Nulla est in Superis fides.	720
	Cum Phebus gerit aureos Currus loraque dextera Fulgenti resecans plagas Celi luciferas regit, Preceps fertur et occidens	725
	Invadit subitus, caput Ac mergit pelago nitens, Aufertur nitidus dies, Noctis nuncius Hesperus Obscure exoritur prior;	730
	Sic risus lacrimae vorant Et lucem tenebrae obtegunt. Sit, quisquis cupiat, potens Aula magnus et inclita Et fortes acies ducum	735
	Aublimesque tumens regat. Plebeus satis est michi Cultus, me teneat casa. Est felix locus infimus; In glisca tenui cibus	740
	Secure capitur. quies Me parvi foveat laris. Nam quicquid volat altius, Momento rapitur brevi. Excelsus penetrans nimis	745
	Alis Icharus aethera,	

Mandati patris immemor,
Languens in pelagus ruit.
Pheton curribus arduis
Indocta retinens manu 750
Phebei iuga ponderis,
Vstus fulmine concidit,
Fraterneque soror necis
Luctu cortice inhorruit.
Pelides, genitus dea, 755
Olim qui timor Ylios
Sublimis stetit incliti,
Cesus templa rigat suo
Ferro sanguine Apollinis.
Paucos sicca duces trahit 760
Mors ad vincula Tartari.
Vivit sancta fides procul
Semper limine regio.

<Actus quintus>

Agamenon, Menelaus, Calcas

Aga. Fortuna, gentes que regis cunctas potens,
Titan calenti quas ferit primus rota 765
Mergensque nitidum fessus Oceano diem,
Tu blanda nunquam ducibus Argolicis faves
Simul atque Frigibus prospero vultu diu.
Inclitus Achilles bella dum plectro vacans
Torpente dira sperneret dolci manu, 770
Superabat Hector, gentis Yliace decus.
Obstare quisnam potuit? hec dextra impotens
Armata facibus pene consumpsit rates,
Quarum alta noster vela perflavit cruor.
Pavidus iacebat quisquis; hic tutus pari 775
Furebat Hector, sanguine Argivo tumens
Yliaca pinguis Xantus intravit freta.
Traxere postquam Thesale Hectoreos rote
Achilis artus ense prostratos fero
Preciumque nati Priamus amittens dedit, 780
Vicere Achivi marte felici duces.
Sors equa sed nunc, cede geminata, capit
Vtrumque populum. natus hinc pelagi dea,
Est Hector illinc. concidit Paridis manu
Decus omne Grai nominis, spes et fides 785
Periere templo. pateris hoc, divum sator?
Cur cessat alto fulmen emissum polo?
Tonare decuit. horridum impune est nefas?
En, sacra Phebi templa maculavit cruor.
Sed cur Tonantem, fulmina ut mittat, rogo? 790
Violata non sunt cede funesta Iovis,
Sed templa Phebi. lucis o clare arbiter,
Qui semper anni iura precipitis tenes,
Pateris cruento scelere fedari tuas
Inultus aras? certius sancta manu 795
Tendatur arcus, Paridem et Ylios pete,
Phitonis atras qualis infesti iubas
Olim petisti, tabe cum dira fluens
Sanguis veneni spargeret nigri solum
Vel cum parente dextra contempta furens 800
Equate Niobes sterneret prolem deis.

- Men. Germane, Danaum cuius imperio favent
Tot arma, prolis Tantali clare decus,
Haud invocati punient scelus dei.
Impune Superi non diu linquunt nefas. 805
- Aga. Iam lesit ipsos celites Priami sator
Fidemque rupit. traxit ingentes cheli
Ad saxa cautes Phebus, et locum sibi
Fecere cantu. regna qui sorte ultima
Primaque cessans divus equorea obtinet, 810
Firmavit arces dextera intactas sua.
Caruit negato numinum precio labor;
Fraudemque gemino Laumedon struxit deo,
Etiam sagitis, fluctibus, pena vacans.
- Men. Cur mille Superos vindices poscunt rates? 815
Extrema cogunt querere auxilium deos.
Hec una superest, nulla cum superest salus.
Viget alta Danaum prospero bello cohors:
Hac dextra Paridis vindice in penas cadat.
- Aga. Accendit animos causa Pelide tuos 820
An causa thalami?
- Men. me utraque in bellum trahit.
- Aga. Magis iste fervet pectore insano furor;
Repetis iugales marte violento faces,
Te solus urit coniugis rapte dolor.
- Men. Iuste dolet, quicumque pro thalamo dolet. 825
- Aga. Proh seva fata, dura, truculenta, aspera!
Quod mille puppes sydus horrendum freta
Per tumida vexit? Graia mercedem petit
Quam marte tellus? sanguine huc veni meo,
Thetidis recedam. causa que belli datur? 830
- Men. Iuste arma lesus, coniuge abrepta, movet.
- Aga. Clitemestra veteres Tantali lares tenet.
- Men. Regem tueri regis ignoti interest.
- Aga. Infesta quicquid classis ancipiti petit
Vel marte, detur, pacis et crescat quies. 835
